



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Obligationibus, Functionibus Et Juribus Parochialibus

Engel, Ludwig

Salisbvrge, 1662

IV. De obligatione Missæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41598

tate & bona ratione firmatur. Nec multum urget, quod unaquæque hora sit per se totum, & convenienter dici possit, ut argumentatur Suarez. ex hoc enim non plus evincitur quàm quòd convenienter ab Ecclesia ita præcipi potuisset; utrùm autem præceptum sit, ita mutilatè Canonicū officium dicere, nobis non constat, & in dubio potiùs liberatio, quàm obligatio inducenda est. *L. Arianus de O. & A.*

CAPUT IV.

De Obligatione Parochi dicendi Missam.

1. *Ante Missam debet præmitti Matutinum cum Laudibus, sed non est gravis obligatio.*
2. *Parochus diebus festivis tenetur Missam legere de præcepto, diebus autem ferialibus, tantùm de honestate, nisi habeat amplos redditus & sit Parochus populosæ civitatis.*

C

3. *Quid*

3. Quid faciendum si populus ita numerosus sit, ut ad unam Missam convenire non possit, vel solus Parochus ad administranda Sacramenta sufficiat.
4. Propter necessitatem moribundorum rest Parochus alteram Missam eadem die celebrare. Et probabiliter etiam post sumptam abluitionem.
5. Qualiter Parochus pro suis Parochianis Missam offerre teneatur, an pro una Missa possit à duobus stipendium accipere.
6. Parochus ex fundatione obligatus ad plures Missas in hebdomada celebrandas, si modico tempore impeditus fuerit, non tenetur illas Missas persolvere per Vicarium.
7. In Ecclesia polluta non debent sacrificia fieri, antequam reconcilietur.
8. Multorum est sententia, quod non solum Missae sacrificium, quamvis non licite, valide tamē reconcilietur Ecclesia polluta,

9. *Quid faciendum si Episcopus sit impeditus reconciliare Ecclesiam.*

10. *Quot modis polluatur Ecclesia.*

Post Horas Canonicas recitatas ad Missam procedere potest Parochus; ita enim habent notæ regulæ Missalis, ut propter meliorem dispositionem saltem Matutinum cum Laudibus ante celebrationem præmittatur. Sed cum inter Horas Canonicas & Missam nulla sit necessaria connexio, ideò illam obligationem præmittendi Horas Canonicas plerique DD. non esse gravem existimant, & contravenientem ad summum venialiter peccare, imò nullatenus peccare, si propter necessarias occupationes, aut aliam justam causam Horas commode præmittere non possit. *Lessius de I.*

de I. l. 2. c. 37. dubio 12. n. 81.

Circa Missarum lectionem obligatio incumbit Parocho, ut omnibus illis diebus, quibus Parochiani ex præcepto Ecclesiæ Missam audire debent,

bent, per se vel per alium celebret, quia
 est communis omnium DD. in æqui-
 tate naturali fundata, nam ideò dan-
 tur Parocho decimæ, & alij fructus,
 necessaria salutis administret. Quo-
 verò etiam extra dies festos Parochus
 Missas legere teneatur, verius est nul-
 lum præceptum extare. Interim ta-
 men id utique maximè decens est:
 mò si populus in aliqua civitate sit nu-
 merosus, & Parochus habeat amplio-
 res redditus, eundem per Episcopum cogi
 posse, ut sæpius in hebdomade cele-
 bret, censet Layman *lib. 5. tr. 5. c. 1.*
sub n. 2.

Prætereà si in aliqua Parochia po-
 pulus ita numerosus sit, ut ad unam
 Missam convenire nequeat, vel unus
 Parochus administrandis Sacramentis
 sufficere non possit, tenebitur Parochus
 & per Episcopum cogi poterit, ut alio-
 os Sacerdotes sibi ad id munus recte
 explendum adjungat, *Trid. s. 21. Glof.*
ref. c. 4. si autem Parochia fortè pro Sacer-
 dotibus

pter injurias belli depauperata pluri-
 bus Sacerdotibus alendis non suffice-
 ret, licentia datur Parocho (saltem
 cum consensu Episcopi, ne fiat abusus)
 uno die duas Missas legendi; sicut e-
 tiam si ob penuriam Sacerdotum unus
 deberet duas Parochias administrare. ut
ex c. consulisti. de celeb. Miss. com-
 muniter tradunt Interp. in quo cap.
 permittitur ut Sacerdos ex causa ne-
 cessitatis uno die possit plures Missas
 dicere.

Porro quia in *d. c. consulisti*, gene-
 raliter fit mentio necessitatis, propte-
 reà plures casus referunt DD. in qui-
 bus sit licitum secundam Missam dice-
 re, qui cum hodie in desuetudinem
 abierint ut testantur cc. apud Barb.
in d. c. consulisti in fin. ideò enarrare
 omitto, videantur apud Nav. *in Man.*
c. 25. n. 87. & 93. inter eos casus ille
 est præcipuus, qui etiam notatur per
Gloss. in d. c. consulisti. Si nimirum
 Sacerdos in Missa moneatur quòd ali-

quis moribundus viaticum desideret
 nulla autem supersit Hostia consecra
 ta: tunc enim (cum in solo pane con
 secrare non liceat) altera Missa dici
 poterit. si tamen Sacerdos ante com
 munionem monitus fuerit, non erit
 necesse alteram Missam incipere, sed
 licebit partem suæ hostiæ ad ægrotum
 deferre. *Sa. v. Eucharistia n. 15.* Ne
 tant autem DD. communiter, quod
 Sacerdos duas Missas dicturus, in pri
 ma non debeat sumere ablutionem.
 Interim tamen multum probabile cen
 seo, saltem probabilitate intrinsecâ
 ratione desumpta *c. 4. de fer.* (neg
 enim semper ex multitudine author
 quod melius iudicandum l. 1. §. 6.
de vet. iur. enucl.) etiam post sum
 tam ablutionem licitè secundam Mis
 sam dici, si v. g. Parochus duas. paro
 chias administrans in primâ Missâ pe
 errorem sumperit ablutionem, & a
 teram Missam propter festum & con
 cursum populi absque magno scandalo
 lo

lo omittere non possit: Item si unus
 vel plures moribundi Viaticum desi-
 derarent. eò quòd præceptum Eccle-
 siæ, ne Sacerdos non jejunos celebret,
 non videatur in casibus tam extraor-
 dinarijs cum detrimento aut scanda-
 lo fidelium obligare. *Ex his enim
 quæ forte uno aliquo casu accidere pos-
 sunt, iura non constituuntur, nam ad ea
 potius debet aptari Ius, quæ frequenter,
 & facile, quam quæ raro eveniunt. Ver-
 ba sunt l. 4. & 5. ff. de LL. sicut ita si
 Sacerdos in introitu recordetur se je-
 junum nõ esse, Missam continuare po-
 test. Et plurimum facit ad mitigan-
 dum rigorem legis, quòd solâ ablutio-
 ne sumptâ Sacerdos adhuc moraliter,
 & communi hominum acceptione je-
 junus reputetur, adeòque si iteratò ce-
 lebret minor irreverentia subsit, quàm
 si aliud quid per modum cibi sumpsit.
 Quemadmodum in simili Sacer-
 dos vovens non bibere vinum, servat
 votum, tametsi in Missâ sumat ablu-
 tionem.*

tionem. *Barb. inc. ex parte de celeb.*
Miss. & propiùs ad nostrum propo-
 tum, Sacerdos post sumptam ablutio-
 nem reperiens particulas, etiam quas
 scit consecratas, ex receptâ sententiâ e-
 as sumere potest: quamvis autem id
 dicatur fieri ex eo, quòd censeatur talis
 sumptio pertinere ad idem sacrificiũ,
 nihilominus reverà sumitur Corpus
 Domini post ablutionem, & quidem
 sine gravi causâ, cum illæ particule
 possent reponi in aliquâ Capsâ vel Ci-
 borio. sanè si licet mihi Corpus Do-
 mini sumere post ablutionem in primâ
 Missâ sine irreverentiâ, vix adferri po-
 test, cur non etiam ex gravi causa in
 secunda, cum suppositâ justâ causâ se-
 cunda Missâ de se non ponat novam
 irreverentiam, aliàs nec etiam à jejuno
 inchoari posset.

Quod ad applicationem sacrificii
 Missæ attinet, ratio naturalis dicitur,
 & in Concil. Trid. s. 23. c. 1. in pr.
 satis insinuatur, quòd Parochi pro suis
 qui-

quibus sacrificium Missæ offerre teneantur, attamen id non eo sensu accipiendum est, quod semper totum sacrificium Missæ principaliter pro subditis offerendum sit, & nunquam possit Parochus secundum aliam intentionem celebrare: sed sufficiet si secundario suarum ovium meminerit, & quandoque arbitrio boni viri principalem intentionem pro eisdem faciat. *Barb. de off. par. 1. c. 11. n. 10.*

Alia est ratio, si quidam ex Parochianis speciale stipendium Parocho offerant, ut pro se Missam faciat; tunc enim acceptans tale stipendium, tenebitur ex justitia secundum eorum intentionem celebrare. & quidem si Parochus jam uni propter acceptum stipendium obligatus sit vel ex fundatione v. g. Anniversarij jam habeat, necesse secundum certam intentionem celebrare, non poterit eodem die ab alio stipendium pro Missâ accipere, & ita unâ Missâ duobus satisfacere, nisi is qui stipendium offert hâc

C 5

de re

de re certioratus ultrò contentus esse velit. *Laym. de sacrif. M. ss. c. 3. n. 4.*

6 Sed quid si Parochus ex fundatione aliqua debeat in hebdomade unam aut plures Missas dicere, is verò infirmetur, an tenebitur sui loco alium Vicarium substituere, qui illas Missas persolvat? Existimo tolerabilem esse (maximè in Parochis aliàs tenues redditus & nullum Capellanum habentibus) sententiam Petri Nav. *l. 2. de restit. c. 2. n. 210.* quòd si infirmitas, aut aliud impedimentum, brevi tempore, scilicet per unam aut alteram hebdomadem, imò etiam per mensem, sit duraturum non sit præsumendum quòd fundator voluerit obligare ad compensationem; quemadmodum bonus Dominus non solet propter modicam ægritudinè, aut impedimentum servi, eus me cedem deducere.

7 Postremò breviter adnotare volui quòd si Ecclesiam pollui contingat Parochus non debeat in eâ Missam facere

cer

cere antequam ab Episcopo reconcili-
 etur, per aquam cum vino, sale & ci-
 nere benedictam. Volunt tamen a-
 liqui si semel post pollutionem Missæ 8
 sacrificium in Ecclesiâ pollutâ sive bo-
 nâ sive malâ fide (quamvis hoc sine
 peccato mortali fieri nequeat) celebra-
 tum sit, jam Ecclesiam propter infini-
 tam virtutem tanti sacrificij haberi
 pro reconciliata & etiam imposterum
 in eâ Missas fieri posse. *Sa. v. Ecclesia.*
n. 19. Castro. de lege Poen. l. 2. c. ult.
 quæ sententia licet non habeat in Ju-
 re aliquod speciale fundamentum,
 nihilominus propter auctoritatem
 DD. qui eam sequuntur, & ut ali-
 quid amplius tribuatur sanctissimo
 Missæ sacrificio, non videtur omnino
 damnanda, cum nullo expresso Juris
 textu reprobetur.

Quid autem fiet si Ecclesia polluta 9
 à civitate Episcopi longè distet, neque
 is propter impedimenta & negotia
 tam citò eam reconciliare, aut alteri

C 9

Epis.

Episcopo potestatem reconciliandi dare possit, annè interea Parochiani sacrificio & sepulchrâ privabuntur? Non est penitus improbabile quòd Episcopus dispensativè possit dare licentiam interim Missas legendi, vel cadavera sepeliendi, etiam in Ecclesia pollutâ, si alia non adsit, usque dum ipse se reconciliet: ut ex alijs authoribus refert *Eman. Sà. v. Ecclesia n. 19.* quia prohibitio non celebrandi in Ecclesia polluta est constitutio Juris positivi & reconciliatio est ceremonia Jure Ecclesiastico introducta, in quo Jure etiam Episcopus dispensare potest, si instans sit aliqua necessitas, & propter dilatam dispensationem fideles aliquod damnum corporale vel spirituale incurere deberent, *Barb. de off. Episcopi. al. leg. 34. n. 23.* Illud autem, quòd *Sà. d. l. n. 20.* putat, Episcopum posse reconciliationem Ecclesiæ jam consecratae (aliud foret si nunquam consecrata fuisset *Henriq. l. 9. c. 27. n. 6.*) alicui Sacer-

Sacerdoti demandare, pugnat contra expressum textum *in c. aqua. 9. de Consec. Eccles.* ubi reconciliatio Ecclesiæ dicitur actus ordinis Episcopalis, & propterea Sacerdoti, qui non sit Episcopus demandari non posse, consuetudinem quoque contrariam potius esse corruptelam.

Speciale esse posset circa Fratres Minores, ut illis reconciliatio alicujus Ecclesiæ pollutæ per Episcopum rectè delegetur, quia dicuntur habere privilegium à Leone X. concessum, ut Ecclesias consecratas si pollutæ fuerint, possint aquâ per Episcopum benedictâ reconciliare. *Roderiq. Tom. 1. reg. 99. 19. ar. 6. Henriq. d. n. 6.* Polluitur 10 autem Ecclesia per sepulturam excommunicati, vel infidelis, sanguinis, aut seminis effusionem

Igitur 1. Si excommunicatus vel infidelis sepeliatur in Ecclesia vel cimiterio, ejus cadaver exhumari (dummodo ab alijs dignosci possit) & Ecclesia

clesia vel Cæmeterium reconciliari debet, nec prius aliquis etiam Catholicus ibidem sepeliri vel sacra fieri possunt. *c. Ecclesiam de consec. dist. 1. c. consulti. 7. de consec. Ecclesie vel Alt.* Quid autem hodie post Extravag. Mart. V. dicendum sit de excommunicationis non denunciatis, inferius in part. 3. in c. de sepulturis commodius explicabo.

2. Per omne homicidium injuriosum (etiam alicujus sancti Martyris *Vall. hoc Titulo n. 5.*) in Ecclesia quocunque modo etiam per suffocationem factum polluitur Ecclesia. *c. propositi. isti de consec. Eccles. & Gloss. in c. in eod. in 6. dico injuriosum*, unde per homicidium vel casu vel causa defensionis vel ab amente aut infante factum non censetur fieri pollutio, quia cum non sit delictum in occidente non videtur fieri irreverentia Ecclesie. Prætereà etiã non polluitur Ecclesia, si quis extra Ecclesiam vulneratus in eadem mori

moriatur, vel si in ea constitutus aliquem extra illam jaculo conficiat, in pœnalibus enim termini sunt strictè accipiendi. Polluitur verò, si is, qui foris est, in Ecclesia existentem occidat, nam tunc homicidium propriè quoad perfectionem & consumationem suam in Ecclesia contingit. Item polluitur non tantùm per mortem, sed etiã per vulnerationem, aut per quamcunq; injuriosam percussionem, unde sequatur copiosa sanguinis effusio, tamen si sanguis pavimentum non contingat, sed in vestibus absorbeatur. levis tamen percussio injuriosa non sufficit ad pollutionem, quamvis propterea sanguis ex narib⁹ distillet. *ut apud Pan. Zoef & cõmuniter DD. ad tit de Consec. Ecclesie pluribus videre est.*

3. Similiter per feminis humani profusionem sive cum sive sine complice factam polluitur Ecclesia, dummodò ea aliquo modo notoria & saltem per famam aut opinionem hominum

minum

minum publicata sit. *arg. c. significasti. de adult.* non autem sufficit si v. g. solus Parochus ex confessione sciat, vel aliqui tantum ex Parochianis, penes quos non sit periculum divulgationis. *Sà, v. Ecclesia. n. 19.*

Est porrò circa has duas posteriores pollutionis species advertendum non pollui Ecclesiam si vel supra illam in tecto, vel intra eandem in aliqua crypta, aut juxta eam in campanili vel sacristia (dummodò hæc ab ipso corpore Ecclesiæ distincta, & moraliter separata sint) pollutio contingat, quia ut supra dictum, in materia odiosa termini sunt strictè accipiendi. Eademùm pollutâ Ecclesiâ censetur quidem pollutum quoque cæmeterium, tanquam accessorium non verò è contrario, quia accessorium non trahit ad se principale. *c. un. hoc. titulo in 6. vid.*

Sanch, de Matrim. lib. 9. disp.

15. à n. 21.